

venisset. Qui enim in quacunq; disciplina vel petulantia vel otio frena laxant, suo falso commodo & publico malo vivunt: neq; tales animi vel de sui cultu, vel de summa Reipub. cogitant. Ad utrumq; vero plurimum conferunt literæ, eas qui colit, se ad vitam privatam rectè degendam, & ad Reipub. capeffendam, beneq; de patria merendum rectè parat: quarum rerum voluntas in paucis est, qui primos in civitate honores alia via affectant. Quare constantia animi & laboris continuatio est rarum juventutis bonum.

Intellexit hoc Serenissimus nostri Regis parens, qui industriam filii sui salutaribus ac paternis admonitionibus semper acuit, ejusq; conatus flabello quasi animavit, ne olim ipsum pæniteret illius dementiæ, cum ætatem & operam & alias consulendi rebus suis occasiones se amississe sentiret. Quantus enim proh dolor est manipulus eorum, qui ad illam aram, ut veteres loquebantur, patrimonii naufragium fecerunt, & vix ipsi è mediis fluctibus cum tabulis enatarunt. Siquidem non attenderunt, quod nulla avaricia sit laudabilis, præterquam temporis: illud bene collocari ab iis debet, qui in militia literarum & virtutis stipendia faciunt. Itaq; tam paucos bonæ mentis condidatos, & bonæ frugis alumnos inveniri, non est mirum: divinum potius beneficium existimandum est, modesta juvenus & addicta bonæ doctrinæ studiis. Maxima certè pars viam munit ad everfionem privatæ & publicæ salutis. Et pauci sunt, qui iis, qui humanæ societatis

tatis